



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118294**

§. 44. Epistola Imperatoris ad Bohemos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](#)

**Sæcul. XV.** non movebant lapidem, ut Laicos a Com-  
A. C. 1417. munione sub utraque specie arcerent.  
 Quapropter Gersonius Synodi jussu com-  
 posuit tractatum in quadam Congrega-  
 tione publice prælectum. In eo docet,  
 quod, quamvis scriptura sacra sit regula  
 fidei, tamen quamdam expositionem re-  
 cipiat, & interpretationem, quæ ultimo  
 universalis Ecclesiæ auctoritati innita-  
 tur: hoc probat ex ipso modo, quem te-  
 nent hæretici, qui doctores, & tales saepe,  
 qui sunt aliquando nullius auctoritatis &  
 ponderis, valde diligenter allegant pro suis  
*assertionibus colorandis & corroborandis.*  
 Postea in secunda parte sui tractatus im-  
 pugnat errorem docentium, Communio-  
 nem sub utraque specie Laicis necessa-  
 riā esse ad salutem, & cur calix merito  
 Laicis subtractus fuerit, rationes propo-  
 nit, quas præcipue fundat in multiplice  
 periculo, irreverentia & scando, quod  
 ex communi utriusque speciei sumptio-  
 ne oriebatur.

### §. XLIV.

#### *Epistola Imperatoris ad Bohemos.*

*Apud  
Vander  
Hardt  
p. 1048.*

Imperator Gersonii argumentis permo-  
 tus, ipsus ad Bohemos dedit Episto-  
 lam, quæ erat inscripta Incolis Launæ  
 oppidi vel vici Bohemiæ, ubi Hussitarum  
 secta altiores egit radices. In præfatis  
 literis

literis exponebat, se magno animi sui Sæcul. XV.  
dolore intellectissime, quod, licet Wences- A. C. 1417.  
laum & Nobiles iterato adhortatus fuis-  
set, indies tamen mala crescerent, ac Cle-  
ricalis omnino expoliatis, sanctissima quæ-  
que polluerentur, ipsique Viri Ecclesia-  
stici ejusmodi profanationibus consenti-  
re cogerentur, ac præterea Laici innu-  
meris ferme crudelitatibus Sacerdotes  
vexarent, atque carceribus mancipatos  
atrocissimis cruciatibus ad abjurandam  
fidem orthodoxam compellerent, necnon  
palam adversus Constantiensis Synodi  
Decretum de Communione frivola edicta  
affigere præsumerent. Accusat quoque  
Wenceslaum, tanquam horum criminum  
fautorem, aut saltem in hac caussa per-  
nicioſæ conniventiae reum. Epistola  
hæc data est tertia Septembbris, sed o-  
ptato effectu caruisse videtur, Hussitarum  
enim furor non deferuit, imo contra i-  
psum Sigismundum insurrexit.

### §. XLV.

#### *Dissidia inter Bavariæ Duces.*

Sub idem tempus fervida contentio in- *Idem to.4.*  
ter Duces Bavariæ exorta, non mo- *p. 1221.*  
dice turbavit Constantienses Patres. Jam  
ante aliquot menses Guilielmus, & Er-  
nestus fratres, ac Bavariæ Duces, item-  
que Henricus eorum Patruelis Constan-

U 4                   tiæ